

nis quædam quamvis fatis inepte admisceat. s)

112. Cæterum non solum hoc speculum Svevicum si conferatur cum Saxonico, in multis capitibus mores Germaniæ & Saxonicos longe melius explicat, quam glossatores inepti, sed & usus hujus speculi & autoritas magna fuit & esse nondum desit. t) Hinc & Meichsnerus id irruenti in mores Germaniæ juri Romano opponere volens in seculo XVI. sub titulo *Kaiserlich auch Königlich Landt-und Lehn Recht* / edidit, & cum hæc editio rarior esse inciperet, u) Goldastus idem Tomo I. *Der Reichs-Satzungen* inseruit.

113. Scilicet ut ad Jus Romanum & Justinianæum redeamus, de eo sic tenendum

D 5 dum

r) Schilterus putat cum Lambecio speculum Saxonicum esse posterius Svevico. *Ex. 13. th. 9. l. a. & Exerc. 17. th. 12.* item Svevicum esse perspicuius Saxonico & hoc ex illo explicandum. *Ex. 16. th. 33. & exerc. 17. th. 12. Conf. Ejus præfationem ad jus Feud. Alem.* Hæc assertio uti in secundis curis fusius examinanda erit, ita si maxime alia argumenta deficerent, sufficerent tamen ad sententiam Conringii stabilendam ea quæ adduximus in *dictatis ad Instit. quib. mod. tut. fin. posit. penult. & ad Schæpferum initio tit. de testamentis.* s) *Conr. c. 30. p. 188.* t) *Conr. c. 31. p. 192.* u) Testatur Goldastus T. I. *Der Reichs-Satzungen* f. 310. quod nullum ejus exemplar invenire potuerit.